

gnoscit, esse conversionem intellectus in canem, vel canis in intellectum: quod posterius videtur esse accuratius, eò quòd anima nostra habeat in se vim quandam identificam, quâ possit sibi suum objectum assimilare, vel si ita velis identificare. Hæc igitur actualis cognitio dicitur conceptus formalis. Cessante hæc cognitione, quâ mens mea cognovit hominem, statim subsequitur homo cognitus in mente meâ. Sed dum hominem ita conceptum à me recogito, & de illo enuncio terminos technologicos, ut casus varios, item genera & species, dicor concipere hominem objectivè consequenter. His ita disputatis, facilimum erit cognoscere, quid sit notio prima, quid secunda. Notio prima est conceptus rei, quâ res est, ideoque immediatè fundatur in re: sed notio secunda est conceptus *res* conceptus, ideoque mediante notione primâ fundatur in re: ut homo est notio prima, quatenus concipitur. Huic enim conceptui, sive formalis sit, sive objectivus, respondet aliquid in rerum naturâ. Sed si dicam genus, vel nominativus, non dederis mihi rem in mundo, hoc tali conceptu repræsentatam. Hujusmodi notiones secundæ occurrunt in Grammaticis, Rhetoricis, Logicis & Astronomiæ parte sphæricâ hypotheses de circulis, & in theoricâ planetarum. Hinc colligere est scientias & prudentias philosophicas de notionibus primis, artes verò de secundis tradere.

Thema principale est, quod primariò tractandum suscipitur: minùs principale, quod obiter seu incidenter tractatur.

Maximè curandum est, ut in omni tractatione thema principale distinguamus à minùs principalibus; id quod fit juxta hunc canonem:

*Thema principale invenitur, si constet de principali authoris scopo.*

Etenim finis principalis est, ad quem omnia referuntur. Si igitur nobis constet, quòd retulerit author omnia illa, quæ protulit, non poterit nos fugere thema principale.

Cap. 3.